57114

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA,*

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Martis decimâ-quintâ menſis Martii, anno Domini M. DCC. LXXIV.

M. Laurentio FERRET, Eccleſiæ Cameracenſis Canonico, Doctore Medico, Præſide.

An in abſceſſu Mediaſtini, celebranda Sterni *terebratio?*

WELLCOME INSTITUTE LIBRARY

I.

ETSI dexteritate forſitan & ſcientiâ, in arte Chirurgicâ, veteribus præſtent *neoterici;* quibus tamen palma ſit concedenda, adhuc ſub judice lis eſt. Omnes eumdem modum non adhibuêre, eumdem tamen ſcopum omnes attigêre, totique in reſtituendâ ſanitate humanâ acubuêre. Priſcis inſtituti obſervationibus, atque theſauris ditati coevi noſtri, nova, magno generis humani ſolamine, invenerunt, inventaque dexterâ manu practitant. Ani fiſtulas ſanant. Lacrimales ductus Cathetere peragrant. Miſſas facio varias operationes de calculo educendo ignotas olim, quas addidit poſteritas non fraudanda laude. Verum ſi poſterorum ſua, ſua etiam eſt veterum gloria. Hi viam captantes terenteſque, plura ex nihilo depromſe-

* *Auctore* M. *Roberto-Huberto* LINGUET, *anni 1742.*

runt, plurima ex tenebris eripuerunt, eorumque ſummoperè probanda diligentia; qui nihil intentatum, nihil inexpertum reliquêre, omnia elaborata & ſummo jure æſtimata litteris conſignârunt, quibus hæreditario jure potimur, & perfrui nobis datum eſt. Nonnulla tamen inculta & obſoleta jacent. Quædam viribus noſtris eſſe ſuperiora fatetur & erubeſcit ætas noſtra. Incuriâne aut ignorantiâ? Judex eſto. Proh fatum! Cum tempore alterantur omnia, mutantur, labuntur, avolant, reſque eundo pereunt. Nomine nunc noſcitur partus Cæſareus. Exulat nephrotomia RIOLANI ſeculis cum ſucceſſu celebrata. Et quid commemorem varias antiquorum operationes effatu dignas? Varias in curandis Thoracis morbis methodos? In fiſtulis coſtarum avulſionem? Harum in Hydrope perforationem? Quibus jungas Sterni terebrationem, cujus celebrationem præcipimus ut æger ex precipiti levetur, abſceſſuſque Mediaſtini curetur. Ecquis unicum & quolibet periculo deſtitutum rejiciat remedium.

I I.

QUOTIES pus intra Mediaſtini duplicaturam intercipitur, ejuſdem membranæ abſceſſus adeſt. Hic longè frequentior quam vulgo cenſetur, licet præſens ſæpe ignoretur, aut alterius morbi titulo tractetur. Ut cauſam arguit inflammationem vel propriam vel à Plevrâ aut Pulmone mutuatam, quæ ſi artis ope vel naturâ ad ſolutionem minimè vergat, neceſſario locum dat ſuppurationi. Tunc adeſt morbus omnimodè ſæviens, hoſtis infenſiſſimus, diverſis inſidians modis, adeoque magis metuendus. Hunc multiformem rectè dixeris. Nunc enim ut Hydropiſis, angit, ſtrangulat. Nunc empiematis perſonam agens, ſuffocat. Larvâ nunc plevreſis indutâ, duro, acuto, punctorio afficit dolore. Quin & ipſam cordis palpitationem quandoque mentitur. Non mirum igitur ſi toties luſerit Medicos. In ipſius diagnoſi tota manet difficultas. Nodum ſolverit qui ab aliis ſecreverit, aut ſecernendi vias tradiderit. Omnibus fermè internarum ſuppurationum comitatur ſymptomatibus. Viget in hoc febris lenta, ſicca tuſſicula, perpetuâ corpus macie conficitur, pallore, Hippocraticâ donatur, cavis dedecoratur oculis. Non minoris ſunt ponderis ſigna propria. Ad Diaphragma ſentitur gravitas, ipſius elevandi impedimentum, Pulmonum expanſionis obſtaculum. Anhelоſa, difficilis, ſuffocans, erecta reſpiratio. Quamlibet in partem decubitus impoſſibilis, in anteriorem tolerabilior. Nocturnus & frequens ſudor. Puris intercepti motus, ſtrepitus auditur. Dolore acuto, duro, punctorio quandoque, ipſo inſpirationis momento graviore, juxta Mediaſtini in Sterno directionem; afficitur æger, torquetur, dilaceratur. Hæc cum adſunt abſceſſus Mediaſtini ſuſpicandus venit. Nec dubites amplius ſi preceſſerit Plevreſis aut Peripneumonia minimè ſoluta. Curationem quæris? Indicat apagium illud, ſi quid corpori hæterogeneum noceat, evacuetur. Nec moram nectas. Citius numquam operaberis. Vix noſcitur cum labefactus Pulmo, eroſis membranis, ſuis functionibus omninò defraudatur.

I I I.

COGNITÂ morbi naturâ medenti nihil ſupereſt, quam ut cauſam & effectus quoſlibet præſentes debellet & profliget, præcaveat futuros & amoveat. Rebus in Chirurgicis naturæ ne credas nimium, fortunæ nequaquam. Malè affecta pars vicinas inficit, hæc depaſcitur alias, ſicque in pejus res ruunt. Abſceſſus Mediaſtini opportunè curatus in ſanationem exit; ſibi relictus, nihil niſi funeſtum, horrendum & lethale procreat. Sanguis ſuppuratus, copiâ, pravâ dote, acrimoniâ, acore in dies ingraveſcens vicina lædit, corrodit. Hinc Plevræ Diaphragmati adnatæ, ipſiuſque ſepti medii eroſio metuenda, morbus dirus Paraphrenitide nuncupatus. Hinc Mediaſtini dilaceratio, in cavum Thoracis, puris

eructatio; undè tabes miſerrima, Phtiſis pulmonalis. Hinc pericardii, cordis quandoque ipſius maceratio, exſiccatio, corroſio ſolâ morte ſedanda. Caveas otio vacare. Hic opus, hic labor. Puris minuenda eſt copia, imò tollenda omninò. Inde ægro ſalus, gloria medenti. Quâ arte hæc præſtare poſſis attentè perpendendum. Fruſtra urinas promovendo, ſucceſſum laxando, ſudores ciendo aut quamlibet catharſim præſcribendo, abſorbentium ope vaſorum, duce naturâ conaberis abſceſſum diſcutere. Si quandoque natura, ſæpiſſimè ſucceſſu fallente, has tentaverit vias, non major huic fides habenda. Curatio ſic inchoatur, rariſſimè perficitur. Summum adverſus hunc morbum Terebri præſidium, imo omni alio ſi non commodius, præſentius ſaltem tutiuſque affert remedium. Unicum in re Terebrum perforans, formâ multiplex. Optimum illud quocum ſalutem inferre poteſt Chirurgus. Supinè decumbenti, omnibus hinc & indè avulſis cruciatim exterioribus membranis, applicatur inſtrumentum in imâ Sterni parte & laxiori ad ſiniſtram vergente, ſicque vitatur mediaſtini quælibet læſio. Hæc ſternum oſſeâ compage donatum ſpectant. Si vero cartilagineam indolem adhuc conſervaverit, quod juvenibus huic morbo rariſſimè obnoxiis competit ſolummodo, celebranda erit paracenteſis, quam ut faciliorem tutioremque reddas, nucleo ab acu ſemipollice diſtanti, armato utendum eſt Triquetro.

I V.

SANATIONEM à naturâ denegatam à Terebro expoſtula; irrita minus erunt tua vota. In hoc ſpes conferenda. Præſentibus medetur incommodis, à futuris liberat & tuetur. Nulla metuenda Metaſthaſis ægris non raro funeſta. In Cranii contuſionibus, fiſſuris, ictubus unicum remedium. Cur non eadem in Sterno præſtaret? ut contentas partes ab importunâ & lethali fæcis mole liberet. Mira à Terebratione peractâ expectas? minimè falleris. Non prius celebratur hæc operatio, quin illicò à ſe ipſo diverſus æger admiratione rapiatur, mireturque ſe curatum eſſe. Eo enim inſtanti quo patet aditus puris expulſioni favens, integrâ frui valetudine arbitratur. Ecquid mirum? Quæ nocent foras amandantur, quæ proſunt adminiſtrantur. Omnia evaneſcunt ſymptomata. Fugit horrenda effectuum cohors. Anxietate liberatus æger, naturali atque deſideratæ redditur tranquillitati. Facilem habilemque reſpirationem quæris? Hanc preſtabunt Terebra, cauſam anhelitus difficilis fugant. Dolores mulcere tibi eſt animus? Stimulum infringunt. Lubet Diaphragma gravitate ſuâ levare, ſuiſque motibus & functionibus exercendis compos fieri? Perfora Sternum, gravitantem graſſantemque materiem expelle, & ulteriori occurres putredini. Experientiâ comprobatum quis negaret? Celebrârunt antiqui miro cum ſucceſſu. Eccur nobis denegaretur poteſtas? Nihil artem apprimè callentibus impoſſibile. Nec tuos artus occupet timor, quidquid dicant cujuſdam ſententiæ fautores, operationem rejicientes, quibus celebrari non poſſe videtur abſque Mediaſtini læſione. Errant graviter. Nullæ horum rationes. Exclament Mediaſtinum in medio Sterni non infigere, & ad ſiniſtram plus minuſve vagari, adeoque difficile admodum eſſe Terebra intra membranas propellere. Huic præcavemus incommodo inſtrumenta ad ſiniſtram Sterni partem applicando. Quin ipſamet aberratio Mediaſtini nullius eſt difficultatis. Pus enim contentum, frequenti reſpiratione compreſſum quoquoverſum fugere conatur, ibique ſuam vim exercet ubi minor eſt reſiſtentia. Proindè cum propellatur ad Sternum minus reſiſtens, cedentibus membranis huic affixis, has hûc & illûc disjungit, ſeparat, avellit, ſicque perioſteo privatur Sternum, remanetque ſpatium operationi favens, nedum ulla ſit extimeſcenda noxa. Sunt quos terret ſanguiferorum vaſorum dilaceratio, vitandam ſecum inferens hæmorrhagiam. Nos non latet Sterni mar-

gines lambere Arterias Mammarias. Verum ipſis eſt parcendum ope Coronæ Terebri minori diametro donatæ. Inſuper clamitant has quandoque jugum ſubire & ramulos in medio ſerpentes protendere. His conceſſis, quod raro evenit, minimè annihilanda eſt operatio. Hæmorrhagia ſi quæ ſit, brevi finitura eſt, teque egregiè peregiſſe teſtis erit omnimoda morbi curatio.

V.

MORBI curationem ſolâ in Terebratione reponere, ignorantis eſt & temerarii. In omnibus eſt modus quo ſublato ruit propoſitum. Vana erit operatio, cum pus adeo viſcoſum, pingue & craſſum per patentes aditus expelli non poterit, niſi detergentibus, incidentibus atque attenuantibus utaris injectionibus, quæ fluidiorem liquidioremque materiam efficiant. Pejorem adhuc ſortem tibi polliceare, ſi tota ſanies collecta, unicâ vice confertim exeat. Maximum imminet periculum ne cum eâ avolent ſpiritus, juxta illud Hippocratis ſect. 6ª. aph. 27. *qui pus in Thorace colligunt, aut aquâ inter cutem laborant, ſi uruntur aut ſecantur, pus aut aqua confertim affluxerit, omnino intereunt.* Per vices itaque evacuanda eſt materies, adeo ut ſtatim copiâ majori, dein minori, denique minimâ liberetur æger, quod indicant pulſus viriumque debilitas. His rite adhibitis rem perfeciſſe ne credas. Abſtergentibus atque detergentibus reficiendæ membranæ importuno colluviei affluxu attritæ, emolliendæ ſunt atque exſiccandæ. Arte factum vulnus, ſecundum artem curandum. Obmuteſcis? prudentiam, ſagacitatemque requiſitam miraris? Quid moror ſi cautè ſe gerere debeat Chirurgus, modo utiliter. Labefactatam valetudinem reſtauret, infirmam corroboret; infenſiſſimos præcaveat morbos Manuariam operationem ne repudies, nullâ arte aliâ morbum diſcuties, Difficilis via, non tamen minime terenda. Age ſemper, atque in mentem revoca, periculoſius eſſe abſceſſu laborare, quam eum Triquetro aut Terebris diſcutere & nobiſcum concludes,

Ergo in abſceſſu Mediaſtini, celebranda Sterni *Terebratio.*

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Joannes Auguſtinus COUTAVOZ, *Anatomes & Artis obſtetriciæ in gratiam Matronarum Profeſſor deſignatus.*

M. Dominicus Joannes-Baptiſta DE LA BICHE, *Regis exercituum in Inſulâ Sancti Dominici Medicus.*

M. Joannes-Baptiſta Eugenia DUMANGIN.

M. Thomas LEVACHER DE LA FEUTRIE, *Anatomes & artis obſtetriciæ in gratiam Matronarum Profeſſor.*

M. Bertrandus DUPUY.

M. Joannes COLOMBIER.

M. Hyacinthus Theodorus BARON, *Antiquus Facultatis Decanus, necnon Caſtrorum Regis & exercituûm in Germaniâ & in Italiâ Proto-Medicus.*

M. Ludovicus Maria POUSSE, *Eques & Cenſor Regius.*

M. Antonius CASAMAJOR, *Cenſor Regius.*

Proponebat Pariſiis FELIX VICQ D'AZIR, Valonæus apud Conſtantienſes, Sereniſſimi Principis Atrebatum Medicus, nec non Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, A. R. S. H. 1773, à ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi.